

partis testimonium, doctrinam aut voluntatem, gestibus verbis aut scriptis, aut quocunque alio signo, significatam, alteri parti, cui illa, & signa ejus, ignota aut dubia sunt, explicatione signorum, quibus significatur, notam aut certam reddit. *Gen. 42. 23. & 40. 8. 12. & 41. 12. Dan. 2. 4. 5. & 5. 12. 16. Job. 33. 23. Dig. lib. 45. de oblig. l. 1. in fine.*

II. Et sic Interpretes Scripturæ non est persona, quæ investigat, invenit aut novit sensum Scripturæ; nec interpretatio est investigatio inventio intelligentia aut cognitio veri sensus. Quia hoc omne in Interprete prærequiritur & præsupponitur, tanquam ad officium interpretandi necessarium: qui sine his ineptus est ad sustinendum Interpretis officium. In auditore verò cupiditas & desiderium cognoscendi verum Scripturæ sensum ejusque investigatio similiter prærequiritur: cognitio autem veri sensus finis est interpretationis, eamque in auditore sequitur. *Luca 24. 25. 26. 27. 32. Act. 8. 38. 31. 34. 35.* Unde & ipsemet Exercitator Paradoxus, etsi in multis cœcutiens & aberrans à tramite veritatis, intellectum Scripturæ, ab ejus interpretatione, bene distinguit. Et sic Hieronymus *præfatione in Pentateuchum.* Aliud est Vatem, aliud est esse Interpretem. Ibi Spiritus venera prædicit; hic eruditio & verborum copia ea, quæ intelligit, transfert. Et rursus *præfatione in librum Job.* Memini me ob intelligentiam hujus voluminis, Lyddeum quendam Præceptorem, qui apud Hebræos primus habebatur, non parvis redemisse nummis. Cujus doctrinam a liquid profecerim nescio: hoc unum scio, non potuisse me interpretari, nisi quod ante intellexeram.

III. Sed Interpretes Scripturæ propriè est persona, quæ verbum Dei scriptum, in usum eorum, qui id ignorant, & cognoscere debent aut etiam cupiunt, verbis & phrasibus aut signis ipsorum captui accommodatis, explicat, ut ejus sensum possint percipere. *Neh. 8. 9. Act. 8. 30. 31. Luca 24. 27.*

IV. Et sic interpretatio S. Scripturæ est oratio vocalis aut scripta vel etiam divina inspiratio aut significatio, quæ verba Scripturæ, audienti vel legenti vel meditati ignota aut dubia, dilucidius explicantur, ut ille sensum eorum percipiat.

V. Interpretatio ejusmodi est vel verbalis vel realis.